

confilia, obseruationes atque epistolae medicae nobilissimorum Germaniae medicorum. Lips. 1604. 4.) cum cera recente [§] in vnguenti speciem redatum, siue (ROSENSTEIN l. c.) cum allio recenti contuso subactum, dolenti praesertim abdominis regioni illinatur, ad vermes necandos doloresque, quos excitant, sopiendos.

Eodem scopo, vermes scilicet, ipsamque tæniam (MELLIN l. c. p. 55.) debellandi, tum ab aegyptiorum (HASSELQUIST it. palaest.) tum ab Europæ medicis commendatus internus eius vsus fuit, et si negari non queat, summam eius vim calefacientem crebro obstat, et hominibus plethoricis, aut in sanguinis profluvia procliuibus non posse non nocere: Exhibitetur autem gutterum decem, viginti, vel triginta pondere, interdum bis vel ter de die repetito, vel cum aqua, vel syrupo quodam edulcatum, vel cum camphora [§] et aequali olei terebinthinae copia (MELLIN l. c.) commixtum: Si quid vñquam contra epilepsiam præstitit (DIOSCORIDES l. m. c.), ea fuit huius morbi species, quae a vermisbus nascitur (G. W. WEDEL de epilepsia, Ienae. 1676. 4.). Petroleum barbadense a duobus ad sex cochlearia, siue solum siue cum spiritu ardente sacchari, siue cum vitrioli acido exhibitum, in lepra aliisque morbis cutaneis pertinacibus aequa ac in cancro occulto interno vsu eximie profecisse nuper fertur (PEIRCE ap. DUNCAN medic. commentar. for 1791. Dec. II. Vol. VI.).

5. *Sulphur* (LINN. *Syst. nat. III. p. 286.*) Odoris, nisi fricitur vel igni exponatur, et saporis, modo purum

purum sit, expers, coloris pallide flavi, quem leni igne liquecendo in hepaticum conuertit, refrigeratum et denuo consolidescens recuperat; acente simul aere igni expositum in flammarum cæruleam exardescit, vaporem eructans acidum, colores vegetabilium et animalium plurimos delentem, suffocantem, sibi proprii odoris, penetrantissimum, ut primum corpus quoddam frigidum contingit in guttas confluentem liquoris acidi, vitrioli acidum referentis; clausis vasis igne tortum integrum atque intemeratum vaporis speciem induens, qui refrigeratus in verum denuo sulphur (*vocant Flores sulphuris*), ceterum puluerulentum, redit, cum plurimis metallis, igne adiuuante, coiens, ut tamen ductilitatem et nitoris partem amittant, et, quae difficilius alias liquantur, tam metalla, quam alia corpora eius confortio facilis liquentur; aquae et spiritus vini, plurimorumque acidorum, nisi singularia adhibeantur artificia, connubium respuens, tanto facilis in oleis, praeterim vnguinosis, et salibus lixiuiosis, in primis fixis, dissoluendum, cum his saponis speciem, siue *sulphuris*, quod audit, *hepar* efficiens, quod tum aquam tum vini spiritum subit, et acido adfuso aërem siue gas hepaticum dictum, foetidissimum, inflammabile, in aqua tamen solendum, emittens.

Huic quoque vulgatissimo corpori non raro vitium ineft ab immixtis materiis peregrinis metallicis, ferri praesertim et arsenici particulis, illae sublimando leni igne sulphuris eiusmodi portionem  
vasis

vasis clausis superstites, colorem magis minusue griseum, hae summopere noxiae intensius flauum, vel, si maiori paulo copia inhaereant, flammeum sulphuri affricant, fumo quoque, dum sulphur comburitur, flammarum circumseptente et arsenici nidorem spirante, cognoscenda.

Licet haud exiguum sulphuris copiam (vocatur *nativum, nudum, virgineum*) paratam iam sistat natura, in montibus praesertim igniuomis atque ex gypso conflatis, perinde ac in thermis, illud tamen neque semper satis purum est, ut interne adhiberi sine periculo possit, neque, si effet, omnibus illis, quibus opus est, sufficeret laboribus; plurima igitur sulphuris pars, quemadmodum in Italiae variis partibus, ex terris eo foetis, in reliqua Europa ex pyritis et variorum metallorum mineris sulphure grauidis sublimatione, vultulatione, distillatione aliis aliisque modis elicetur, et altera vtplurimum fusione a particulis terreis et metallicis subsidentibus liberata, in baculorum (*magdaleones* audiunt) vel panis placentae formam compingitur.

Medici tamen hac forma induito sulphure rarius vtuntur, nisi velis, B. KAEMPFIVM (l. c.) baculos illos abdomini applicatos in obstructis abdominis visceribus tanquam efficax commendasse auxilium; frequentius altera sublimatione magis adhuc depurato, qua peracta pulueris specie adparet, et *florum sulphuris* nomine insignitur; hi tamen flores ab aere, dum labor iste perficitur, non satis sollicite excluso, liberum vtplurimum acidum, linguae iam scrutinio testante, vehunt, fini salutari crebro aduersum;  
quare

quare iterato adfusa aqua lauari, et hi *loti sulphuris flores* soli pro interno vsu praecipi a medicis debent.

Et primo quidem externo vsui inferuit sulphur: Nolo diu morari in vsu sulphuris accensi, ab HALESIQ quoque ad arcendum pestis contagium commendati (Gentleman's Magaz. Vol. 24. for 1754. Dec. p. 543.), et quos emittit, vaporum, ad aërem putridis effluuiis foetidum, corrigendum, in quo adhibendo, ob indolem eius halitu attracti lethalem, ea cautela opus est, vt eo tempore, quo templo, domus, con-clauia hoc fumo perfunduntur, fenestris foribusque clausis, omnes homines exulent, neque iterum ingrediantur, priusquam ianuis fenestrisque apertis cum tetro odore omnis sulphuris vapor exierit.

Sed sulphur etiam integrum, cum pinguedine quadam in vnguenti formam redactum, tum haemorrhoidibus dolentibus, tum praesertim scabiosis invngitur, eo fine iam ab ORTOLPHO VON BAYERLAND (*Arzneybuch ze teutsch. Nürnb.* 1477. fol.), nuperius ab aliis apprime commendatum, tanto efficacius, si eodem tempore interne propinantur flores sulphuris. Poterit autem sulphur aut cum quatuor partibus vnguenti simplicis, et, quo minus odor nimis offendat, exili portione olei citri (*vnguentum e sulphure New Dispensatory Lond.* 1765. p. 642.), aut cum axungiae porci duabus partibus, addita praeterea, quemadmodum in Galliae nosodochiis, quarta parte salis ammoniaci (*HVNCEZOWSKY medic. chirurg. Beobacht. Wien.* 1783. 8.), vel radicis veratri albi (*Vnguentum ad pforam New dispensatory l. c.*), aut cum aequali copia baccarum lauri et vitrioli albi, et cum viginti duabus

duabus axungiae porci recens elotae (*Vnguentum ad scabiem Iafferis*), aut cum aequali vitrioli albi copia, et axungiae porci recentis et lotae partibus quatuordecim (*Vnguentum psoricum VOGLER pharmac. select. Ed. 3ia. Wezlar. 1792. p. 198.*) subigi, quo vnguento vel semel de die quarta corporis pars, vel bis terue frustulo (*MELLIN l. c. p. 238.*) nuci auel-lanae aequali, genua volaeque manuum (*VOGLER l. c. p. 199.*), donec omnis scabies euanuerit, et continuato interdum adhuc diutius vsu, inunguntur. Idem vnguento in capitis tinea et lichenibus adeo opem tulisse auctor est (*l. m. c.*) *ILL. VOGLER:* Etiam nodulo, cui inclusum est sulphur, oleo feruido prius intincto, fricari possunt partes scabie infestatae (*WATON journ. de medec. chirurg. et pharmac. T. 87. 1791. Maj.*): Aqua (*ffij*), cum floribus sulphuris (*3ij*) et aequali arsenici albi copia cocta, et sollicite decantata, per octo et plures dies continuos pedes, brachia et dorsum lauari et fricari iubet *TRELCOURT* (*memoir. et observations de chirurgie. à Bouillon et Paris. 1769. 8.*).

Introno quoque vsu medicis acceptissimi sunt sulphuris flores loti, non tamen perinde aegris, quam non alii modo excrementa (*VAN SWIETEN l. c. IV. p. 728.*), sed sudor quoque, et ipsa perspiratio insensibilis (*BALDINGER ap. REISIG de sulphuris crudi vsu interno. Lips. 1768. p. 27. 28.*), singularem inde adipiscantur foetorem, multis incommodum, atque effluuiis suis argentum aequa ac alia metalla denigret, et nitore suo depriuet: Verum idem effectus luculenter ostendit, sulphur, quamvis aquam humores-

humoresque aquosos non subeat, transire in humores, et transire quidem integra sua natura, et, subtilissimas etiam, secretionum excretionumque officinas, peruguari.

Exhibitetur autem sulphur scrupuli dimidii, integrum, interdum drachmae dimidiae, imo integrae pondere, ratus pilularum, rotularum, trochiscorum, quam pulueris forma, optime cum faccharo aliisue indicationi respondentibus permistum, ut tamen, faburra primas vias obsidente, aut nihil efficiat, aut noceat, atque ob vim irritantem et paulisper excalefacentem multa nonnunquam in eius usu circumspetione opus fit.

Promouet autem interno usu transpirationem insensibilem, muci ex pectore, aluique ipsam excretionem, vermes necandi (VAN SWIETEN l. c. p. 727. LANGGVTH diff. de scabie viua. Vitemb. 1767. p. 32. TISSOT l. c. p. 375. VAN DOEVEREN l. c.) potentia quoque gaudens.

Prodest igitur in morbis, a transpiratione suppressa natis, v. g. in rheumatismis, et ipsa arthritide vaga, aut cum rob sambuci, aut cum antimonio et gummi guaiaco in pilulas formatum (QVARIN animaduers. practic. in diuersos morbos. Vienn. austr. 1786. 8. c. 15. p. 283 sq.), aut exigua granorum quinque dosi cum salibus mediis exhibitum (MÖNCH l. c. p. 360.); ipsam arthritidem et podagrum praecaueri, si quotidie iejuno ventriculo drachma sulphuris dimidia cum lacte ingeratur, sibi persuasit CHEYNE (Essay on the true nature and the true method of curating the gout. Lond. 1722. 8.).

Neque

Neque minor est eius efficacia in morbis cutaneis, ipsis acutis, et adeo peste (DIEMERBROECK de peste. Arhem. 1640. 4. l. 3. CRATO A KRAFTHEIM consil. et epistol. medicinal. ed. a L. SCHOLZ. Hanov. 8. L. IV. 1614. conf. 24. p. 171. et 594.), ipsisque similibus febribus, ut DETHARDINGIVS (diff. de sulphure vt praestantissimo bezoardico. Rostoch. 1746.) saluatos fuisse, qui peste hungarica laborantes sulphure vni sint, mortuos, qui non; et H. CARDILVCIVS in sulphure cum acetо propinato (*von der Pestilenz.* Nürnb. 1679. 12.) singularem pene pro auertenda peste fiduciam poneret; princeps in chronicis tum sanandis, quemadmodum scabie, ipsorum infantum vbera adhuc fugentium, si mater vel nutrix eius tantum quantum cultri apex capit, deglutiat (ROSENSTEIN *von Kinderkrankheiten, übers. von MVRBAY.* 1766. p. 66.), tum si retrogressum fuerit exanthema, illud denuo ad cutis superficiem expellendo (FR. HOFFMANN medic. ration. systemat. T. IV. P. 5. p. 216. IVNCKER consp. therap. special. 1750. 4. p. 745.), et morbis ex hac retrocessione natis e. gr. epilepsiae infantum (ROSENSTEIN l. m. c.) asthamati (IVNCKER l. c. p. 285.) et aliis medendo. Quicquid ad duas drachmas cum vini spiritu gallico hora ante ingruens frigus propinatum (GRAINGER historia febris anomalaе batauae. Altenb. 1770. 8.) in febribus intermittentibus debellandis effecisse perhibetur, hac eius transpirationem promouente virtute videtur niti.

Eadem certe virtus pectori amicum reddit sulphur, cuius quippe morbi multi a transpiratione super-

L

pressa,

pressa, alii ab exanthemate retrogrediente natales ducunt; accedit, quod pituitam tenacem pulmones infarcientem, alteram eamque fertilissimam morborum pectoris originem, potenter incidat, atque euacuet; quare iam a DIOSCORIDIS (l. c. l. 4. c. 73.) inde tempore, in asthmate, praesertim humido commendatum, assentientibus et multiplici sua experientia comprobantibus praeter alios CRATONE A KRAFTHEIN (l. m. c. L. II. Conf. 7. p. 43. L. III. Conf. 8. p. 71.), ut tamen alio loco L. VII. ep. 4. p. 781. 804. 805.) reiciat, I. HEVRNIO (de morbis pectoris liber. ab OTH. HEVRNIO edit. Leid. 1602. 4.), CARDILVCIO (*Neue Stadt- und Landapotheck.* Francf. und Leipz. 1670. 8. p. 508.), TH. WILLIS (pharmaceutica rationalis. Oxon. 4. P. II. 1675), FR. HOFFMANN (l. c. P. 3. p. 382. 385.), v. WOLTTER (*patriotischer Landbader.* 1777. 8.): An in ulceribus pectoris (CRATO A KRAFTHEIM l. c. L. VII. ep. XV. p. 809.) prospicit, vel in tussi quoque conuulsiva unicum potens sit remedium (FR. IOS. GVIL. SCHROEDER diff. quaedam ad febrium doctrinam proponens. Marburg. 1766.) dubitare adhuc liceat.

Ex qua virtute, haemorrhoidum caecarum (WERLHOFF observ. de febribus. Hannov. 1745. p. 95. LIPP enchirid. botanicum. Vienn. 1765. p. 69.) dolores aluumque duram eas creberrime comitantem leniat, decidere equidem nolim; monendum tamen est, multa hic circumspectione opus esse.

Suo porro confortio argenti viui in glandulas faliuales, antimonii metallici in ventriculum atque intestina effectum, ipsamque nocentissimam arsenici potentiam

potentiam mitigat; hinc non solum remediis, ex his metallis paratis, crebro adiicitur, sed interdum etiam, alia tamen forma *indutum*, eo scopo adhibetur, ut virulentos eorum metallorum effectus praeuertat. Ita Cl. HECKER (l. c.) cum scobe ferri et camphora mixtum iis ingerendum praecipit, quibus intempestiuus saliuae fluxus obortus fuit. Similiter in homine, qui viride aëris deglutierat, egredio cum euentu usus est floribus sulphuris NAVIER (contrepoisons de l'arsenic, du sublimé corrosif, et du plomb. à Paris. 8. I. 1777.).

#### PRAEPARATA.

*Spiritus sulphuris per campanam*, ex sulphuris infra campanas vitreas flagrantis vapore in guttas condensato collectus, spiritui vitrioli parum assimilis, ut huius plurima pars, supellecili quamuis valde diuersa, ex sulphure obtineatur, virtute refrigerante, putredini aduersa, leuiter constringente, in febribus, praesertim putridis et malignis, atque aphthis perinde utilis.

*Hepar sulphuris calcareum*, *Sulphur calcis*, optime ex testis ostrearum cum sulphure uscis paratur, et vasis clavis facillime seruari siccum atque intemeratum potest; ceterum id ipsi commune est cum reliquis speciebus hepatis sulphuris, quod aqua facile dissoluatur, et adfuso acido dilutiori aërem siue gas emittat hepaticum, inflammabile, aqua denuo dissoluendum, et tetterimum ouorum putridorum foetorem spirans. Egregie certe conducit hoc hepar in iis malis, quae nimium argenti viui

L. 2

et

et remediorum ex eo paratorum usum excipiunt, nisi inueterata nimis fuerint ( HAHNEMANN apud MONRO l. c. 2. p. 54 ).

*Hepar sulphuris arsenicale, Liquor auripigmenti, Atramentum sympatheticum, Liquor vini probatorius Zelleri*, ex auripigmento cum calce et aqua cocto paratus, non medicamenti quidem loco inferiens, sed eo, quod metalla plurima soluta, si quidem rite et recens paratus sit, obscuro colore praecipitet, detegendae in vino, butyro, oleis labi plumbeae adhibitus ( ZELLER docimasa, signa, caussae et noxae vini lithargyrio mangoniſati. TUBING. 1757. GAUBIUS Verhandeling. van het Maatschappy der Weetenskappen te Haarlem. I. p. 112 sq. CARTHEVSER progr. 1 — 3. de quibusdam vinorum adulterationibus. Gieff. 1779. 8.), quo scilicet instillato materiae illae, si quidem suspicio plumbi inhaerentis iusta fuerit, subito colorem fuscum vel nigrum adipiscuntur, et simile sensim sedimentum dimittunt, vt tamen idem sit experimenti istius euentus, siue casu fortuito ferrum, cuprum, aurichalcum, stannum aliudue metallum subierit vinum, siue consulto adiectum fuerit plumbum, lithargyrum aut cerussa.

*Hepar sulphuris vulgare, Hepar sulphuris salinum, Sulphur potassae, Sapo sulphureus*, ex sulphure et cineribus clauellatis, igne, quo sulphur liquefcere incipit, adiuuante, paratum, aqua et vini spiritu facile soluendum, vt tamen solutio quamuis limpidissima, aëris libero accessui exposita, breui, et citius adhuc ab acidi vel debilissimi guttulis non-nullis

nullis instillatis lactescat; aqua solutum tanquam potens arsenici, mercurii sublimati corrosui, viridis aeris deglutiti, ipsiusque plumbi antidoton prae-dicatur a Cl. NAVIER (l. c. p. 25. 213. 312. 2. p. 13.), qui tamen experimentis potius extra corpus huma-num institutis nititur, quam periculis in corpore viuo captis, idemque remedium in aliis quoque, praesertim pectoris morbis chronicis (an variis chronicis variae hepatis sulphurei species? Paris. 1778.) commendat. Ita Clar. HECKER (l. m. c.), vt intem-pestium saliuae fluxum, ab argenti viui vnu excitatum, fistat, vnciam sulphuris tribus vnciis lixiuui caustici solui, solutionem per colum traiectam octo partibus aquae corticis aurantiorem dilui, et singulis horis cochleare eius recipi suadet.

*Tinctura sulphuris, Solutio hepatis sulphu-ris spirituosa, ex hepate sulphuris vulgari et vini spiritu parata, si quidem recens sit, rutila, et a sul-phure contento sudorem atque insensibilem transpi-rationem potenter mouens, ideo in morbis rheu-maticis, arthriticis, cutaneis chronicis salutaris, ad 40, 60 et plures guttas exhibita, in pectoris mor-bis dubiae efficacie; at aliquandiu asseruata plurimum sulphuris, cui colorem et virtutem illam debet, di-mittens, et ab acido quocunque instillato cum foe-tore lactis opacitatem induens.*

*Syrupus sulphuris, Arcanum beccicum Wil-lisii (Pharm. Wirtemb. 2. p. 201.), est hepar sul-phuris vulgare aqua distillata solutum et cum fac-charo ad syrapi spissitudinem coctum, TH. WILLISIO in morbis pectoris chronicis, ipsa adeo phthisi de-cantatum,*

cantatum, et ab vncia dimidia ad integrum usque exhibitum, ob praedominantis fali lixiuiosi acrimoniam irritantem in phthisi nunquam, et vix nisi in iis pectoris malis admittendum, quae ab infarciente tenaci pituita, et torpore ac relaxatione solidarum organi respirationis partium nascitur.

*Lac sulphuris, Magisterium sulphuris, Praecipitatum sulphuris, Cremor sulphuris, Butyrum sulphuris,* est sulphur attenuatum albidum, ex hepatे sulphuris vulgari aqua soluto per acidum liquorēm praecipitatum, elotum atque exsiccatum, flores sulphuris lotos efficacia vix superans, quamuis praeter alios a WERLHOFIO (l. c.) in astmate, alui obstructione ab haemorrhoidibus nata, colica, cardialgia, hydrope scarlatinam excipiente, a drachma dimidia ad integrum, et a Cl. MELLIN (l. c. p. 238.) in morbis cutaneis a dimidio ad integrum ferupulum, infantibus adeo propinatum, multam opem tulerit.

*Hepar sulphuris ceratum,* est hepar sulphuris vulgare, cui, in aqua distillata soluto, in vase terreo vitro cortice intus obducto tantum sensim iniciatur cerea albae, vt saponis spissitudinem nanciscatur; commendatum tanquam remedium valde efficax contra effectus venenorū arsenicalium et mercurialium a Cl. SINGER (*medicinisch-chemische Abhandlung über ein sicheres Gegengift aller Mercurialgifte etc. Wien. 1786.*).

*Hepar sulphuris martiale,* mistura ex aequali sulphuris et fali tartari, et dimidia scobis ferreæ parte per fusionem facta, aqua soluta, ex sententia

NAVIER

NAVIER potentissimum (Contrepoissons etc. I. p. 104.) arsenici, (l. m. c. p. 221. 222.), mercurii sublimati corrosui albi (l. m. c. p. 321.), viridis aeris, et (l.c.2. p. 8.) plumbi plumbeorumque adeo antidoton.

*Sapo veneris*, massa grisea ex fuso cum duodecima cupri rasi parte hepate sulphuris vulgari, lixiuio caustico soluto, et agitatione continua intermixto papaueris albi oleo in saponis speciem redacto, nata, exigua iam dosi vrinam valide mouens, et siue tinctura rhabarbari soluta, siue cum extractis in pilulas subacta, in hydrope utilis (BVCHOLZ diss. de saponibus quibusdam mineralibus. Ienae. 1763. 4. §. XXVI. p. 25. §. XXXII. p. 30.).

*Sapo lunae*, niger, simili modo, quo sapo veneris, ex argento, hepate sulphuris, lixiuio caustico, et oleo papaueris confectus, teste multiplici Ill. BVCHOLZII (l. c. §. XXV. p. 24. §. XXXI. p. 29.) experientia, alumum et vrinam et muliebrem fluxum pellens, et vermes necans, scrupuli dimidii pondere, siue terra foliata tartari et tinctura rhabarbari addita forma soluta, siue cum puluere ialapae in pilulas redactus, exhibetur, in pedum oedemate atque incipiente hydrope salutaris.

*Sapo solaris*, ex hepate sulphuris vulgari cum sedecima auri portione liquato aqua soluto, et paratione, quae in parando sapone veneris iam dicta fuit, cum lixiuio caustico et oleo papaueris cocto natus (BVCHOLZ l. c. §. XXIV. p. 23.), vi resolvente et laxante, teste Eiusdem Clarissimi Viri (l.

m. c. §. XXX. p. 29.) experientia, arthriticis aliquando proficuus.

*Hepar sulphuris volatile, v. Sal ammoniacum: Spiritus salis ammoniaci sulphureus.*

*Aer hepaticus, Gas hepaticum.* Foetidissimus ille halitus, qui instillato cuicunque hepatis sulphuris speciei acido assurgit, facile flammarum capiens, omni animali, si aere vitali non temperatus pulmonibus hauriatur, lethalis, aquam tamen facilmente subiens.

*Aqua aere hepatico impraeignata,* haud raro in naturae sinu ipso obuia, de quo alibi dicetur, facile quoque per artem paranda: Extero usq; prodest in scabie, si tum partes illa defoedatae quotidie aliquoties ea lauentur, tum linteae, quibus aeger induitur, in illam intingantur (HAHNEMANN ap. MONRO I. c. 2. p. 49.): Inferuit praeterea ista aqua, si ex duabus hepatis sulphurei calcarii et septem partibus cremoris tartari cum aqua vehementer concussis paretur (HAHNEMANN chem. Annal. 1788. I. p. 291 sq.), tam arsenico quam plumbo detegendo; illud enim, siue aqua meraca, siue acidis solutum, ab ea instillata sedimentum flauum, hoc siue vino, siue alio liquore solutum atrum dimitit, instillato vitrioli oleo nunquam iterum solendum, quod posterius utique contingit ferro per hanc aquam praecipitato.

*Balsamum*

## INFLAMMABILIA MINERALIA. 169

*Balsamum sulphuris* est solutio sulphuris spif-  
fior rubra vel fusca (Pharm. Wirtemb. 2. p. 31.)  
per oleum quoddam, e. gr. petroleum (*barbadense*),  
oleum succini (*succinatum*), terebinthinae (*terebinthatum*),  
anili (*anisatum*), amygdalarum (*amygdalatum*),  
vel lini, cui tamen sub iinem olei terebinthinae  
adhuc portio superadditur (*Balsamum sulphuris Rulandi*),  
peracta, olim medicis familiaris, tum ex-  
tero, tum interno vſu, hodie haud inique neglecta.

---